

NATVR. QVÆST. Lib. VI. 209
duus humor commissuras lapidis exten-
huat, & quotidie his ad quæ religatus est
aufert, & illam (vt ita dicam) cutem qua
continetur, abradit. Deinde longa per
æuum diminutio vsque eò infirmat illa,
quæ quotidie attruit, vt desinat esse
oneri ferendo. Tunc saxa vasti ponderis
decidunt, tunc illa præcipitata rupes;
quidquid ab imo repercussit, non pauciura
consistere, succutit;

— *Et ruere omnia visa repente:*
vt ait Virgilus noster. Huius motus suc-
cidentis terras hæc erit cauſa. Ad alte-
ram tranſeo.

C A P. X X I I I. Rara terræ natura
est, multumque habens vacui. per has ra-
ritates spiritus fertur: qui vbi maior in-
fluxit, nec emittitur, concutit terram.
Haec placet & aliis, vt paullò antè retu-
li, cauſa: si quid apud te profectura te-
stium turba est. Hanc etiam Callisthe-
nes probat non contemptus vir. Fuit
enim illi nobile ingenium, & furibundi
regis impatiens. Hoc est Alexandri cri-
men æternum, quod nulla virtus, nulla
bellorum felicitas redimet. Nam quotiens
quis dixerit: Occidit Persarum multæ
millia: opponetur, Et Callisthenem. Quo-
tiens dictum erit, Occidit Darium, penes
quem tunc magnum regnum erat: oppo-
netur, Et Callisthenem. Quotiens dictum
erit, Omnia oceano tenus vicit, ipsum quo-
que tentauit novis classibus, & imperium

Tom. III. K ex